ERECTIO ARCHIEPISCOPATVS

AD LECTOREM.

CVPIENS *Illuſtriſsimus Senatus Bononiæ Metropolitanæ dignitatis gradum nuper patriæ ſuæ delatum, aſsiduè ciuium ſuorum in oculis apparere, vt hinc maiores Deo honorum omnium auctori, & ſummi noſtri Pontificis munificentiæ gratias habere diſcant, Diploma ipſum apoſtolicum typis imprimendum curauit: & quoniam quo primum die inter miſſarum ſolemnia illud aſtantibus Magiſtratibus, Senatuq; ipſo, ac populo promulgatum eſt, eodem quoque tempore ab Illu-*

ſtriſsimo D. Archiepiſcopo Latinus eſt habitus ſermo, tum de angelica Deiparæ Virginis, cuius annua ſacra celebrabantur, ſalutatione, tum de populi ipſius munere in recenti hoc honoris gradu ineundo; data opera eſt ab eodem Senatu, vt ſumma Archiepiſcopalis illius orationis eodem, quo habita fuit, ordine qua commodiore fieri potuit ratione, excepta ederetur, ad dignitatis huius memoriam cum vberiore pietatis fructu colendam, atque vniuerſum populum de officij ſui, perpetuæq; in Deum, ac Sanctiſsimam ſedem apoſtolicam obſeruantiæ ratione admonendum.

SERMO

SERMO
ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. CARDINALIS PALAEOTI ARCHIEPISCOPI BONONIAE PRIMI

Exceptus ex concione ab eodem habita in prima Archiepiſcopali Miſſa ſolemni

Die Sanctiſſimæ Annunciationis Beatæ MARIAE VIRGINIS.

MDXXCIII.

Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.
S. Luc. c. primo.

HIC dies Chriſtiano orbi lætiſſimus, & iucundiſſimus, quo noua lucis myſteria ſe aperiunt, noua de cęlo progenies annunciatur, Virgo beatiſſima inſolito Angelicæ legationis nuncio ſalutatur, noſtra nobis gaudia, ac lętitię fructus ingeminat, Dilectiſſimi, quando nos quoque nouam Eccleſię huius dignitatem Bononienſi noſtro po

pulo

pulo ſacro, ſolemniq; ritu denunciamus, recentes diuinorum munerum nuncios afferimus, ac filios noſtros cariſſimos ad agendas cæleſti clementiæ gratias, & commemoranda ſæculis omnibus diuina illius erga nos beneficia inuitamus. Accidit ſanè peropportunè, ac ſumma æterni, vt credimus, conſilij prouidentia, vt hæc ſolemnia noſtra cum ſanctiſſimæ huius Deiparæ Virginis celebritate coniungerentur, non ſolum vt, quam vetere maiorum noſtrorum exemplo populus hic, vt parentem amantiſſimam, aduocatamq; fidiſſimam, religioſè ſemper coluit, iuſtos eidem hodie honores perſolueremus; verum etiam vt ex præſenti illius ſolemnitate nos iucundæ huius dignitatis, ac ſalutaris inde fructus hauriendi certam rationem diſceremus. Etenim cum in nouo hoc fulgore, quo non ſola Archiepiſcopi perſona, ſed omnes Ciuium ordines, ac communis huius patriæ filij, tamquam vnius membra corporis illuſtrantur, quæri meritò poſſit, quidnam opus facto ſit, vt nos dignos hac diuina beneficentia reddamus, non aliunde ſanè aptius, & commodius, quàm ex ſacro, quod hodie legitur, Euangelio id poſſumus colligere.

Erat Beata virgo clara quidem ſtirpe, atque honeſtiſſimis parentibus progenita, ſed tamen quæ multas ſibi æquales in ea regione habere poterat. Ecce mittitur Angelus de cælo, qui ei nunciat. Quidnam? Annè illam ſupra alias Ciuitatis mulieres extollendam? aut populis omnibus in prouincia Galileæ præficiendam? Minimè verò, ſed, quod poſt homines natos erat inauditum, ex illa ſempiternum Dei filium hominem factum proditurum, *qui regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.*

Ad huius tam fauſti nuncij aduentum quid illa facit? Quatuor ſunt res, quas ſacrum Euangelium memorat. Primo ait: *turbata eſt*; Secundo, *cæpit ſecum cogitare*. Tertio audit Angelum diuina ſibi monita plenius exponentem; Quarto ſe totam diuinæ committit voluntati.

Hi ſunt gradus, Dilectiſſimi, per quos & nos aſcendere oportet, ſi gloriam Dei quærimus, ſi diuinæ vocationi reſpondere, ac noſtræ aliorumq; ſaluti volumus conſulere.

Primo ergo inquit: *Turbata eſt*. Quo loco quis non miretur, tam læto, feliciq; nuncio, quo exultant cæli, & terra, Reginam cęli, & terræ

per-

perturbari? Virgo prudentiſſima, Virgo diuino tantùm obſequio addicta, Virgo cæleſtia potius, quàm terreſtria cogitans, ad cæleſtis deinde vocis ſignificationem turbatur? Quo modo hæc ſe habent?

Animaduertite viri clariſſimi, quia hæc turbatio non ex animi mœrore, aut triſtitia oritur, ſed argumentum eſt potius ſanctæ cuiuſdam trepidationis cum admiratione, ac virginei pudoris. Nam ob id Angelus ſubiecit, *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam.*

Si quidem illud ab auctoribus receptum eſt, ſapientem non dedecere ad ſubitos rerum caſus, inopinatosq; euentus, ſiue proſperos, ſiue aduerſos mediocriter commoueri, nec à grauitatis laude moderatum timorem alienum eſſe, cum indè ingenij acies acuatur, ſopitæ animi vires excitentur, & adminiſtrandis rebus homines ſolertiores, cautiores, diligentioresq; reddantur.

Itaq; Virgo ſapientiſſima initio perturbatur, quòd meminiſſe potuit, ſi quid conijcere licet, precioſiſſimam illam cæleſtis regiæ margaritam, Angelum olim pulcherrimum, ac fulgentiſſimum, quò maioribus fuerat à Deo opi

buſ cumulatus, eò miſerabilius deinde, *tamquam fulgur de cælo cecidiſſe*. Potuerunt illius mentem maximorum quoque Regum exempla ſubire, Saulis, Salomonis, & quandoq; Dauidis, qui Dei mandato per illius prophetas ad regale ſoliũ euecti, poſtea infeliciter erant collapſi. Amplius nobiliſſimas feminas ſecum animo fortaſsè euoluebat, quæ filios Reges nactæ infauſtos interdum exitus conſpexerant, vt in ſacris litteris legitur.

Nos quoque, dilectiſſimi, ſi ſapimus, diſcamus exemplo huius prudentiſſimæ Virginis timere potius, q̃ exultare, lubricum agnoſcamus nimis eſſe felicitatis ſolum, in quo vix poteſt humana non labi fragilitas, cum perdifficilè ſit, homines in altum ſublatos non tollere ſupercilium, non amplitudinis voluptate inebriari, ac ſui ſæpè obliuiſci. Hinc traditum illud eſt à ſanctis viris, *rarum eſſe honorem ſine tumore, prælationem ſine elatione, dignitatem ſine vanitate*. Nos ad huiuſmodi gloriolæ ſtimulos cohibendos meminerimus, quod ſanctus Gregorius admonuit, *vbi augentur dona, ibi etiam rationes creſcere donorum*, hæc talenta eſſe cæleſtis patris familias, qui vt in illis largiendis, ac diſtribuendis

eſt liberaliſſimus, ſic in exigenda ratione diligentiſſimus, & ſeueriſſimus.

Poſt hæc ait Euangelium, *cœpiſſe cogitare Virginem, qualis eſſet iſta ſalutatio*. Hic agnoſcimus, viri doctiſsimi, eam prudentiæ partem, quæ in rebus meditandis, multumq; perpendendis verſatur. nam cum in hac humanarum rerum varietate, & caligine maiores plerunque lateant ſinus, & receſſus, quàm prima fronte ſe prodant, prudentis eſt, non ſtatim ex ipſa rerum facie ſententiam ferre, ſed altius eas mente verſare, diligenter cuncta rimari, & ſingula attentè circumſpicere; in primisq;, cum inſigni aliquo honore decoramur, aut gradu extollimur, ſapientis eſt, delati muneris vim, acceptiq; beneficij magnitudinem, atque obeundi illius rationem examinare.

Id cum Beata Virgo cumulatè præſtiterit, eiuſdem exemplo nos quoq; cariſsimi accuratè conſiderare docemur, qualis, quantaq; ſit hæc ſalutatio, quæ Eccleſiæ noſtræ hodie à Deo mittitur.

Scimus, maiores noſtros, viros clariſsimos ardenti ſtudio hanc dignitatis amplitudinem, & ciuitatis ornamentum ſepè exoptaſſe, cumq;

& bello, & pace, tum rerum potentia, tum Principum gratia frequenter floruerint, nunquàm tamen huius voti compotes effici potuiſſe; nos autem cum & viuentes, & videntes, & plaudentes, quod prioribus denegatum ſæculis fuit, adepti ſimus; quo tandem animo eſſe, aut quanti facere ſalutationem iſtam debemus?

Nouimus quidem, olim ſummos alios Pontifices, Leonem V. Agapitum, Pelagium, Gregorium, Formoſum, Honorium III. non leuia ſuæ erga hanc Eccleſiam beneuolentiæ documenta dediſſe, eamq; immunitatibus, priuilegijs, cenſuq; auxiſſe, ſed quid illa tandem ſunt, ſi cum præſenti ſummi Pontificis noſtri Gregorij XIII. munificentia conferantur? Qualis eſt iſta ſalutatio?

Solent Ciuitates ipſæ Principum munera, & priuilegia eò pluris æſtimare, ac pretioſiora habere, quò ampliorem non ſuos ſolum ciues, ſed exteros quoq; iuuandi, atq; opes ſuas alienis etiam communicandi facultatem acceperint; Nos cum hinc ad nomen Dei noſtri plenius, magnificentiusq; celebrandum, ad Eccleſiaſticam diſciplinam latius propagandam, ad laborem, induſtriam, claritatemq; vberius exer

cendam, atque ad omnia virtutum ſemina in fæcundiſſimo lætiſſimoq́; ſolo diſpergenda adi tum nobis ampliſſimum aperiri videamus; quibus animorum ſtudijs iſtam excipere ſalutatio nem debemus?

Si quoties præclaro aliquo beneficio à Deo homines exornantur, ſolent Reges, Principes, magiſtratus, nobiles, ignobilesq́;, & cuiuſcunque ordinis viri, & mulieres pietatis ſuæ ſtudium, & intimi in Deum obſequij affectum am plis oblationibus, donarijs, ſuſpenſis in templo tabulis, alijsuè religionis inſignibus teſtificari, quid nos, viri nobiliſsimi, in hac diuinorum munerum copia, cæleſtisq́; beneficentię amplitudine facere decet? Quonam modo nos iſta affici ſalutatione oportet?

Iam verò ſi patres, & maiores noſtri pro ſua nobilitate, atque animi magnitudine, quotieſcunque proſperitatem aliquam, quamuis ad ſæculi res pertineret, conſecuti, modò anni uerſaria ſpectacula armorum, equorumq́; inſtituerunt, nunc turres altiſsimas excitarunt, interdum pretioſis muneribus templa locupletarunt; quid populum Bonon. multo magis quàm antè, copijs omnibus affluentem pro

huius

huius ſacroſanctæ, ac ſplendidiſsimæ dignitatis acceſsione publici operis edere, quæ honoris inſignia, quæ memoris animi, & officij ornamenta prodere decet? non ſolum vt in omnem poſteritatis noſtræ memoriam ſempiternum pietatis publicæ, & gratiſsimæ in Deum voluntatis monumentum tranſmittatur, ſed etiam vt tota prouincia nobis attributa intelligat; non ſatis eſſe Bonon. populo, titulis, honoribus, priuilegijsq; excellere, niſi ſuæ in primis religionis incrementa diuini cultus amplificationem, eximiæq; ſanctitatis ſtudium ampliſsimæ liberalitatis, & magnificentiæ exemplo publicè, priuatimq; teſtatum relinquat.

Tertio loco Beata Virgo poſt intimam ſecum cogitationem Angelum audit arcana ſibi diuinæ mentis expromentem, *myſterium ſæculis abſconditum* aperientem, atq; altiſsimas diuini conſilij cauſas ad humani generis ſalutem conuerſas patefacientẽ. Vos quoq;, dilectiſsimi, ſi placet, rationes intelligite, quibus Sanctiſsimi D. N. ſapientia excitata fuit, vt Eccleſiam ciuitatemq; noſtram inſigni hoc priuilegio illuſtraret. Cum autem graues admodum, multiplicesq; ſint, ſatius exiſtimaui, vos illas ex ſa-

ero illius diplomate, quàm ex tenui mea oratione cognoſcere. Quæſo vos igitur viri nobiliſsimi Diaconum noſtrum ipſas vobis Apoſtolicas literas recitantem audite.

GREGORIVS EPISCOPVS

ſeruus ſeruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

V*NIVERSI orbis Eccleſijs, eo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, meritis licet impari bus præſidentes, in omnes agri dominici partes oculos noſtræ mentis vigilis more paſtoris intendimus, inſpicientes, quid Eccleſiarum ipſarum, præſertim Cathedralium inſignium, ſtatui & decori maximè conueniat, atque hoc quidem tantò liberalius promptiusq; curandum cenſemus, quantò magis ciuitatum celebritas, ac ciuium, & populorum ſuorum vota id expoſcunt, ac diuino fulti præſidio illius, qui cuncta ex ſua benignitate ad fidelis populi ſui ſalutem diſponit, ad ea, quæ ad dignitatem, & ſtatum Eccleſiarum huiuſmodi augendum pertinent; officij noſtri partes libenter conuertimus, prout cognoſcimus in Domino ſalubri-*

ter

ter expedire. Cum itaq; Eccleſia Bononienſis ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, cui dilectus filius noſter GABRIEL *Tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis* PALEOTVS *nuncupatus ex diſpenſatione Apoſtolica præeſt, & quæ in primis Sancti Petronij Epiſcopi, & Protectoris Bononiæ interceſsionibus & meritis, omni quidem tempore diuinæ pietatis abundantia magnis multisq; ornamentis exculta, non modò diœceſis magnitudine ſatis in omnem partem patens, ſed cleri, populiq; pietate, dignitate, & amplitudine florens, Epiſcoporum quoque ordine ſuccedentium, quos item multos ab initio ferè naſcentis religionis, ſæuientibus adhuc infidelium perſecutionibus, fidei defenſores, & in Sanctorum conſortio adſcriptos habet, numero affluens, ſacrarum præterea reliquiarum copia abundans, religioſiſsimis quoque templis, Baſilicis, Monaſterijs, locis pijs, & alijs, quæ ad omnem eiuſdem cleri, populiq; Bononienſis laudem inſignia ſunt, pietatis Chriſtianæ monimentis ornata, valde per ſe ipſa elucet: Cumq; Ciuitas ipſa iam inde vſque à Theodoſio Imp. ampliſsimis illuſtrata priuilegijs, & à diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad Regum congreſſus, Imperatoris coronationem, Concilij Oecumenici tranſlationem, aliasq; maximas res gerendas dele-*

cta,

cta, eiuſdemq́, Apoſtolicæ ſedis primogenita, & ſtudiorum mater ab omnibus meritò nuncupata, nobiliſsimo Gymnaſio, Doctorumq́, & Scholarium ex omnibus orbis Chriſtiani partibus illuc confluentium frequentia, clariſsimo Quadragintauirûm Senatu, & Magiſtratibus decorata: aliorum item illuſtrium virorum, apud quos & veræ religionis cultus, & ſumma in Romanum Pontificem, ipſamq́ ſedem obſeruantia, & ſtudium ſemper enituit, copia quidem inſignis, quippe quæ in omnibus ſchiſmatibus partes veri Pontificis perpetuò ſuſtinuerit, & viros dignitatibus Eccleſiaſticis claros, Epiſcopos, Cardinales, Pontificesq́, de eccleſia Dei optimè meritos ſæpenumero tulerit: ædificiorum item magnificentia, opibus, fertilitate, pòpuli magnitudine, egregia erga exteros hoſpitalitate, ac præcipua erga omnes beneuolentia & charitate, omniq́, alia virtute illuſtris & ſit, & habeatur; Nos aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui eodem honore patriam ſuam condecorarunt, morem, exemplumq́ ſecuti, & eiuſdem etiam Cardinalis Epiſcopiq́, Bononienſis, cuius non ignota eſt cura, & ſollicitudo in gloria Dei, ſaluteq́, animarum procuranda, pio ſtudio adducti, & patriæ ipſius noſtræ Bononienſis, quam vnicè in Chriſto diligimus, ſingularibus erga hanc ſedem me-

ritis commoti, paternoq; deſiderio, & ea ſpe, qua tenemur, id fore, ut patria ipſa Bononienſis hoc ſingulari beneficio noſtro excitata, ſeſe in dies ad bene agendum magis magisq; conformet, accenſi, necnon Eccleſiæ ipſius, quam totis in Chriſto viſceribus complectimur, meritis permoti, ad illam meritis honoribus augēdam, & promouendam adducti, pijs quoq; ſupplicationibus dilectorum filiorum eiuſdem Ciuitatis Quadragintauirûm, aliorumq; Magiſtratuum excitati, poſt habitam cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus maturam deliberationem, de illorum conſilio, atque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad laudem, gloriam, & honorem omnipotentis Dei, ac Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, eiuſdemq; S. Petronij Epiſcopi, & Patroni Bononienſis, necnon ad vniuerſalis Eccleſiæ exaltationem, Eccleſiam ipſam Bononienſem in Metropolitanam Eccleſiam, & ſedem Epiſcopalem Bononienſem in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopaliſq; & Metropolitani Præſidis ſedem, & Prouinciæ caput pro illius Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, qui pallij, & crucis vſum aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſq; alijs inſignibus Archiepiſcopalibus, necnon priuilegijs, honoribus, & prærogatiuis alijs Archie-

piſcopis debitis, & conceſſis gaudeat, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, ac nomine, titulo, & honore Archiepiſcopali, & Metropolitano decoramus. Nec non Placentin. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Eccleſias, earumq́ omnium, & ſingularum Ciuitates, & Diœceſes cum omnibus & ſingulis earum Territorijs, & terminis, ac dilectos filios Clerum, & Populum vniuerſum cum ſuis Collegiatis, Parochialibus, & alijs Ecclesijs, necnon Monaſterijs vtriuſque ſexus, cæterisq́ beneficijs, & officijs Eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura, ſecularibus, & quorumuis ordinum regularibus, necnon hoſpitalibus, domibus, collegijs, & locis religioſis quibuſcunque ab eiuſdem ſedis Apoſtolicæ immediate ſiue alterius cuiuſcunque etiam Metropolitani ſubiectione etiam perpetuò diuidimus, & ſeparamus, illasq́ & earum diœceſes, ac Ciuitates poſthac in Prouincia Bononienſi eſſe, & conſiſtere, neque in alia Prouincia cenſendas, & numerandas eſſe decernimus, & declaramus, & quatenus alteri Prouinciæ Archiepiſcopoue etiam Mediolanenſi, et Rauennatenſi, tàm antiquo iure, conſuetudine, priuilegio, vel alterius Metropolis erectione ſiue inſtitutione, quàm iure electionis ex ſacri Concilij Tridentini decretò factæ, vel alia quauis ratione, & cauſa an-

teà adiunĉtæ, ſubieĉtæq; in toto, aut in parte eſſent, vel cenſerrentur, ſiue in illius poſſeſsione, vel quaſi ſe eſſe prætenderent, ab omni illius ſiue alterius Prouinciæ, vel Archiepiſcopi etiam Mediolanenſis, & Rauennatenſis, aut illorum Capitulorum iure Metropolitico, correĉtione, viſitatione, ſubieĉtione, & omni quacunque alia iuriſdiĉtione, obedientia, & ſuperioritate, ſi qua forſan quauis occaſione illis competeret, ſiue competat, ſimiliter perpetuò eximimus, & liberamus. Necnon diĉtæ Bononienſi eccleſiæ prædiĉtas Placen. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Ciuitates, & Diœceſes pro ſua Metropolitana Prouincia, ac Placentin. Parmen. Regien. Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cremen. Eccleſias præfatas, modernosq; & pro tempore exiſtentes illarum ſingularum Præſules pro ſuis, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Bononienſis Suffraganeis, qui necnon earum ſingularum capitula etiam quocunque priuilegio ſuffulta, tanquam membra capiti eidem Archiepiſcopo Bononienſi iure Metropolitico ſubſint, ſibiq; obedientiam, & reuerentiam tanquam proprio Metropolitano prorſus exhibeant, pariter perpetuò ſubijcimus, eidemq; Archiepiſcopo Bononienſi prædiĉtos ſuos ſuffraganeos conſecrandi, ad prouinciales Synodos euocandi, ac cum eis etiam ec-

cleſiaſtica negocia terminandi, eorum eccleſias diſponendi, & cauſas quaruncunque appellationum, ſiue querelas alias iuxta ſacrorum canonum ſtatuta cognoſcendi, omniaq́ alia et ſingula, quæ de iure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet ad Archiepiſcopos, & Archiepiſcopale munus ſpectare & pertinere ſolent, & debent, gerendi & exercendi plenam, & omnimodam concedimus facultatem. Prouinciæ quoque Bononienſi clerum, & populum vniuerſum pro eorundem eccleſiæ, & Archiepiſcopi Bononienſis prouincialibus ſimiliter perpetuò concedimus, & aſsignamus: Decernentes ex nunc irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis au ctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus regula noſtra de iure quæſito non tollendo, ac quibuſuis alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Placentin. Parmen. Mutinen. Regien. Ceruien. Imolen. & Cremen. ac Rauennaten. & Mediolanen. eccleſiarum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem eccleſijs illarumq́ præſulibus, & adminiſtratoribus, ac capitulis, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam

dero-

derogatoriarum derogatorijs, alijſq́; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de ſimili Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine et conſiſtorialiter, & de ſimili conſilio, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſſis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumq́; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat harum ſerie de conſilio, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq́; cõtrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, decorationis, diuiſionis, ſeparationis, declarationis, exemptionis, liberationis, ſubiectionis, conceſſionum, aſſignationis, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, in-

& Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo. Quarto Idus Decembris. Pontificatus noſtri Anno Vndecimo.

FERD. CARD. DE MED. SVMM.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexijs.

Regiſtrata apud Cæſarem ſecretarium.

EXTREMVM, quod immaculata Virgo poſt Angelici ſermonis vim plenius hauſtam, æterneq; prouidentiæ conſilium comprehenſum feciſſe legitur, fuit cæleſtis illius vocis emiſſio, quæ in fine ſacri Euangelij legitur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Quibus verbis affirmant ſancti Patres, tunc ſacrum coniugij fœdus humanæ, diuinæq; naturę contractum fuiſſe, tunc verbum æternum in inuiolato eius vtero conceptum, & humanæ redem-

ptionis fundamenta iacta coaluiſſe.

Quapropter cum noſtra hodie Eccleſia nouum & ipſa matrimonij vinculum ineat, & tanquam noua ſponſa, cuius nuptiales tabulę modò recitatæ ſunt, optare in primis debeat, vt ſe ſponſo ſuo gratam, amabilemq; reddat, quid poteſt aptius, ſalubrius, ſanctiusq; agere, quàm eiuſdem beatæ Virginis veſtigijs inſiſtens eandem vocem vnà cum filijs ſuis mittere? dicens: *Ecce nos ſerui tui, fiat nobis ſecundum verbum tuum.*

Et quoniam ijdem ſancti Patres teſtantur, his verbis chorum nobiliſſimarum virtutum contineri, cum inter ſe dexteras iungant, copulátęque incedant, humilitas, fides, deuotio, obedientia, magnanimitas, diuini nominis zelus, caritas, & incredibilis quædam ſui ipſius abdicatio, demus operam & nos cariſsimi, vt has voces pſallentes præclaro hoc virtutum cõmitatu ſæpiamur. Hæ ſunt enim margaritæ, quibus caput nouæ ſponſæ redimire, & veſtimenta illius exornare debemus, ſi cæleſtis ſponſi oculis placere optamus.

Inter cæteras autem quoniam humilitatis

virtutum cuſtos, & fundamentum vocari ſolet, nos quoq; per eandem humilitatis portam ingredientes quicquid hoc honoris eſt, multò meritis noſtris excellius, quicquid ponderis, multò viribus noſtris grauius, quicquid officij, facultate noſtra maius eſſe, agnoſcamus; & confiteamur diuinę hoc opus beneficentię eſſe, quæ parua extollit, quæ ſuſcitat de puluere egenum, quæ intellectum dat paruulis, & facit mirabilia magna, vt inde potentiæ, ſapientiæ, bonitatisq; ſuæ ſplendor magis eluceat, & quando eidem placuit, vt per nos, qui nobis ipſis non ſufficimus, veluti tamen miniſtros ſuos nobiliſsimæ huius prouinciæ commodis conſuleretur; iteremus ſæpius eandem cū beata Virgine vocem: *Fiat nobis ſecundùm verbum tuum.*

Si nos Domine tanquàm candelabrum lucere alijs in domo tua iuſsiſti, tu qui pater es luminum, *emitte lucem tuam de alto, & illumina faciem tuam ſuper ſeruos tuos*. Si ciuitatem noſtram ſuper montem poſitam eſſe mandaſti, vt qui oculos huc tollerent, ad innocentiæ, fortudinis, ac diuini cultus diſciplinam curſum inuenirent, *tu domine, qui cum ſapientia inhabitat, doce nos ſemitas tuas, et opera manuū noſtrarum*

dirige:

dirige: ſi ſic tibi bene placitum fuit Domine, vt Eccleſia hæc tua olim *decora inter filias Hieruſalem*, hodie *mater* fulgeret *honorificata*, da *matrem filiorum lætantem*, da familiæ tuæ *vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*, da in domo tua, tuis omnes vnanimes obedire mandatis. Nos infirmitatis noſtræ nobis conſcij, te vnum ſequi, à te vno pendere, ac tuæ plenè parati ſumus obſequi voluntati. Nos dignitatem hanc te auctore nobis delatam ad tui nominis gloriam potiſſimum exercere, & alios fidei Bonon. Eccleſiæ creditos populos, vitæ exemplo, religioniſq; ſtudio ad æternæ gloriæ præmia accendere exoptamus. Sed quid nos puſilli, quid ope tua deſtituti dignè conari, aut aggredi poſſumus? Tu vniuerſorum ſalus, & firmamentum adiuua inopiam noſtram, *quia pauperes facti ſumus nimis*. Tu, qui *infirmos accingis robore*, imbecillitatem noſtram confirma.

Tu quoq; Regina cælorum, populi Bonon. præſidium, & clamantium ad te perfugium, hanc ciuitatem multarum hodie Eccleſiarum matrem effectam, tu omnium mater clementiſsima in ſinum benignitatis tuæ recipe. Tu

rumq; ciuium ordines pietate tua cuſtodi, clementia protege, vt cum dignitatis amplificatione creſcant virtutum merita, ac ſanctitatis, caſtitatis, veritatis, iuſtitiæq́; ſtudia ſe extollant, vt tuo hodie exemplo verè nos quoque canere poſsimus: *Ecce ſerui Domini, fiat nobis ſecundum verbum tuum.*

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE